ſtra fraternitatis tuæ cura prætenditur) jus traditæ ſibi antiquitùs dignitatis intemeratum habere decernimus , ita ut à regulis præſtituis nulla aut negligentia , aut præſumptione diſcedant. Vide & totam Epiſtolam, ſi libet. Hic diſertè Papa iſte indicat, ſe illi Metropolitano ſuum vetus jus ac dignitatem reſtituere, quod ei, aliisque Metropolitanis ſacroſanĉti Canones Nicæni ante centum & amplius annos tribuerunt, atque ita eum Theſſalonicenſis Epiſcopi jure à ſe conceſſo liberare. Cur igitur antea, & quo jure eundem Metropolitanum ſua dignitate privaverat, & alteri ſubjecerat, atque ita ſacroſanctæ Nicænæ Synodi decreta violaverat, pro quibus tantopere contra Anatholii conatum declamavit? Cur etiam non meminerat hic Leo infernalis, ſuarum declamationum de Anatholio; quòd Epiſcopi non ambitione , ſed humilitate creſcant? quòd CHRISTUS venerit non miniſtrari, ſed miniſtrare? quòd qui velit eſſe ſupremus, ille omnium ſervus eſſe debeat? Hæc enim plenis buccis in Anatholium declamitaverat. Sed nimirum Epiſcopi Romani tantum ideo aliis modeſtiam aut humilitatem ſuaſerunt, ut illi ſoli ſuperbire eò commodius, & inſolenter tyrannizare, aliis ſtulta imperitaque modeſtia ultro eis cedentibus, ac ſeſe ſubjicientibus , poſſent.

Secuti Papæ Africanos Epiſcopos , & præcipuè Metropolitanum Carthaginenſem, eique adhærentes tum Clericos tum Laicos excommunicaverunt , ac pro excommunicatis ab omnibus haberi juſſerunt & tum duris, tum bonis verbis ac factis denuò ad parendum ſibi ſolicitarunt, & urſerunt. Res ac cauſa hæc haud dubiè variè ſurſum ac deorſum jactata eſt. Sed tamen centum integris annis à ſupradicta ſexta Africana Synodo liberæ fuerunt illæ Eccleſiæ à tyrannide Papæ ; tametſi illi, ut eis mos eſt, ſubinde aliquid ſibi juris in eos, quantum per occaſionem potuerunt, uſurparint.

Cæterùm centum annis, poſtquam ſanctiſſ. iſti tyranni tam duriter (ut ſuperius dictum eſt) cum ſua ambitioſa tyrannidis affectione , impudentique & ſceleratâ ſacrorum Nicænæ Synodi Canonum falſatione , à ſancta Africana Synodo repulſi fuerant , obtinuerunt imperium ſuper Epiſcopos Africæ ; & *Metropolitanus Carthaginenſis*, qui præcipuæ authoritatis in tota Africa eſſe ſolebat, *ſeſe eis ſubjecit*? proculdubio improbantibus id factum multis bonis ac piis viris , in Africanis Eccleſiis. Is, qui tunc erat Metropolitanus , vocabatur *Eulalius* ; Papa verò erat Bonifacius ſecundus. Extant utriusqne de ea re ſcripta. Triſte omnino eſt, ac permoleſtum, non tantum commemorare, ſed etiam cogitare ſolùm, quàm nefariè & Papa inſultet prædictæ ſacroſanctæ Synodo , & Metropolitanus illam damnet; tametſi eam diſertè non nominent. Fuit ſanè & hic *Malefacius ſecundus*, primo illi (de quo ſuprà diximus) non ita abſimilis; nam & ipſe perinde ut ille, magna ambitione vix obtinuit, ut aliqua pars Cleri & populi ſe in Papam eligeret , & cum circiter menſem illud ſchiſma duraſſet, ac alter, qui à majori parte erat electus , nomine Dioſcorus, vita deceſſiſſet, is Malefacius protinus ira , dolo, ac grandi amaritudine